



## The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *PIURENSIS ET ALIARUM\** PIURENSIS  
ECCLESIA AD DIGNITATEM METROPOLITANAEE SEDIS EVEHITUR NOVAE PROVINCIAE ECCLESIASTICAE  
EIUSDEM NOMINIS. Sic ut paterfamilias, quem nullus amor tenet magis anxius quam filiorum, ad id  
unum omnes cogitationes intendit, quo modo liberis consulat, ita et Nos, quos adorandus Deus,  
arcano sane atque secreto consilio, voluit familiae suae praeesse in omne orbis terrarum latus  
diffusae, nulla hac maiore cura atque sollicitudine afficimur, quam ut sanctae Christi plebi, cruore  
Filii Dei redemptae, eidemque ad aeternam vitam destinatae, iter ad beatam patriam tutius atque  
expeditius faciamus. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Romulus Carboni, Archiepiscopus  
titulo Sidoniensis atque in Republica Peruviana Apostolicus Nuntius, ab hac Petri Sede  
expostulaverit ut episcopalibus Ecclesia Piurensis ad metropolitanae dignitatem eveheretur novaque  
simul provincia ecclesiastica constitueretur, Nos id censentes Ecclesiae Sanctae bene cedere  
posse, post consilium quidem auditum a quorum interesset locorum Ordinariis, haec statuimus.  
Sedem Piurensem inter metropolitanas Ecclesias referimus, cum debitiss iuribus, nempe a iure  
metropolitano Ecclesiae Truxillensis eximentes; a qua etiam dioeceses Chachapoyasensem et  
Chiclavensem, ac praelaturas Chothensem et Chulucanensem detrahimus, quas Piurensis  
tamquam suffraganeas addicimus, ita statuentes ut ex his omnibus Sedibus nova provincia  
ecclesiastica coalescat, *Piurensis* appellanda, factis scilicet iuribus quae tantae inhaerent dignitati.  
Primum autem Archiepiscopum Metropolitam venerabilem Fratrem Erasmum Hinojosa Hurtado  
deligimus, cum iuribus et honoribus quae Ius Canonicum describit. Ceterum, haec quae iussimus,  
venerabilis Frater Romulus Carboni exequi curabit vel quem ipse delegaverit. Rebus autem actis,  
idem documenta exaret, quae sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Consistoriale  
mittat. Si vero tunc temporis aliis eidem Apostolico Nuntio fuerit forte suffectus, hic mandata  
Nostra faciat. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita  
quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim  
suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta  
officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis  
Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et  
locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica  
dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda  
erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nonagesimo sexagesimo sexto,  
Pontificatus Nostri quarto.

IACOBUS A. Card. COPELLO <i>S. R. E. Cancellarius</i>	CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. Consist. Pro-Praefectus</i>
--	--

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Ioannes Calleri, *Proton. Apost.*

Sylvius Romani, *Proton.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n.16, pp. 1127-1128 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana